

concl. VI. p. 159. statuendum aliquid regimini analogum, ut adeo צבאות יהוה habeat coniunctionem, non formaliter regimen. Nec impedit 2) quod vox ipsa Hebraea in Graeco Noui Testamenti textu Rom. IX, 29. & Iacob. V, 4. retinetur. Non enim omnes Voces, quae in Noui Testamenti lingua originali ob certam rationem feruantur, nomina propria sunt, uti de *Hosianna, Halleluja, Amen, Pascha, Sabbatum* &c. constat. Vid B. SALOMON GLASSIVS Philol. Sacr. Libr. III. Tract. I. Can. IV. p. m. 545. Scite hinc DRVSIVS in quaesitis per epist. 23. *Si Sabaoth est nomen Dei, erit & Arez. Nam inter Dei epitheta, Adon Col haarez, h. e. Dominus totius terrae. Falsum est, non inueniri Sabaoth nisi de Deo. Quid sibi volunt verba: Reges Sabaoth fugerunt. Psalm. LXVIII, 13. item, non egressus es, Deus, cum exercitibus nostris בצבאותינו Psalm. XLIV, 10.*

§. VIII.

Quum capitis huius clausulam meditarer, offerebat se locus, quem minime praetereundum censebam Esa. XL, 2. דברו על-לב ירושלם וקראו אליה כי מלא צבאות. Non ratione lectionis latinae solum, sed praecipue quoad verum dicti illius sensum interpretes non conueniunt. GROTIUS, Romana, & complures aliae versiones scribunt: *completa est MALITIA*, ac L. BRVGENSIS in Notationibus ad cap. XL. Es. quae tomo VII. Critic. Sacrorum anno 1695 Francofurti editorum, comparent, p. m. 1101 diserte fatetur, se ex suis exemplaribus nullum, quod Militia legat, inuenisse, tantum in vno Cardinalis Bessarionis quondam malitia in militiam mutatum, atque in margine: *Recte est militia*, scriptum obseruasse. Quanquam igitur CORNELIVS A LAPIDE in Comment. ad h. l. p. 223. lectionem hanc totis viribus defendere allaboret, ac MALITIAM hic non nequitiam, sed laborem, afflictionem & aerumnas militares significare contendat, quemadmodum Matth. VI, 34. dicatur: *Sufficit diei malitia* id est afflictio sua, & Ephes. V, 16. *Redimentes tempus, quoniam dies mali*, id est miseri sunt; Nos tamen textum authenticum; qui Militiam habet, omnino praefendam iudicamus, praesertim cum nulla adsit vrgens necessitas, quae a propria

propria